Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873

Copyright: Admont, Benediktinerstift

populus iudaicus non est conuersus a sua perfidie malicia. De nouissimis populi sacerdotes excelsorum facit. quia per ditissimos synagoga doctores constituit. qui falsum sibi scientie ducatum prebeant in excelso legis et prophetarum. Quicumque uult implet manum suam. quia non per spiritum sanctum magisterium. sed pro proprie uoluntatis arbitrium. quisque scribarum et phariseorum. diuine scripture sibi uendicat scientiam. Fit sacerdos excelsorum. dans falsum ducatum in scientia legis et prophetarum. Et propter hanc causam peccauit domus hieroboam. quia ruina populi sacerdotes mali. Fit enim populus domini. qui non habet scientiam dei. Quia tu inquit scientiam repulisti. repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. Sic synagoga. sic ecclesia. sic unaqueque anima. cum transit ab actiua uita. deletur a contemplatiua. De superficie terre. que est terra repromissionis. habens abundantiam lactis et mellis. Tunc enim terra repromissionis tollitur. cum quelibet anima a dulcedine sancte scripture repellitur.

Cap. XIV

SEQUITUR. In tempore illo egrotauit abia filius hieroboam. Dixitque hieroboam uxori sue. Surge et commuta habitum. ne cognoscaris quod sis uxor hieroboam. et uade in sylo. ubi est ahias propheta. qui locutus est mihi. quod regnaturus essem super populum hunc. Tolle quoque in manu tua .x. panes. et crustulam. et uas mellis. et uade ad illum. Ipse enim indicabit tibi. quid euenturum sit puero huic. Fecit ut dixerat uxor hieroboam. et consurgens abiit in sylo. et uenit in domum ahie. At ille non poterat uidere. quia caligauerant oculi eius pre senectute.

ABIA pater dominus. ut pater fuit interpretatur: per quem populus iudaicus figuratur. qui tunc honorem patris habuit. cum deo patri fide et dilectione honorem uerum exhibuit. Abias filius hieroboam scribitur. quia iunior iste synagoge populus. perfidiam illius prioris populi imitando sequitur. Abias egrotat. cum iunior ille populus in fine mundi salutis sue defectum considerat. In tempore illo. quod celebre est et in ueteri et in nouo testamento. Dicit enim psalmista. Conuertentur ad uesperam. et famem patientur ut canes. et circuibunt ciuitatem. Dicit esaias. Si fuerit numerus filiorum israhel. quasi harena maris. reliquie salue fient. Hic angelus danieli. In tempore illo saluabitur populus tuus. omnis qui scriptus fuerit in libro uite. Dicit apostolus. Cum plenitudo gentium introierit. tunc omnis israhel saluus erit. Hieroboam uxori sue dicit. cum populus iudaicus in suis prelatis. synagogam in fine. de dei et sui cognitione conuenit. Surge que dormis. et exurge a mortuis. et commuta habitum. per penitentie et conuersionis propositum. Ne a tuis amatoribus. scilicet malignis spiritibus cognoscaris. quod uxor hieroboam sis. quod insipientium magistrorum errori subiacueris. Vade per dei et tui cognitionem. in sylo. in legis auulsionem et excalciationem. considerans ueteris testamenti factam esse consummationem. Ubi est abias propheta. quia in ueteris testamenti structura. seruatur prophetia. Qui mihi est locutus. cum promissa dei et uite eterne in lege. psalmis. et prophetis. mihi est testificatus. quod super hunc populum essem regnaturus. quod recte credendo. quod bene uiuendo. regnum israhel in perpetuum essem habiturus. Tolle quoque in manu tua .x. panes. scilicet per actiue uite exercicia. comple decalogi precepta. Tolle crustulam. similam scilicet oleo infusam. que designat prophetiam. sancti spiritus gratia infusam. Tolle uas mellis. psalterium. ut per ubia salemonis. Vade ad illum. scilicet ad intentionem prophetarum